



Sanctus Vuolffgangus natione Suevus, ex familiâ nobili comitum de Pfullingē oriundus, natus est in Vuellenburg Rhetiæ. Mater eius erat Berthruda Comitissa à Veringen, quæ postea in Sultzbach sepulta fuit. Itaque Vuolffgangus à pueris statim bonis literis excultus, doctrina supra natalium splendorem maximè conspicuus factus est. Cōtemnebat autem is rerum terrenarum illecebras, atque relictis ijs monachus primum apud Treuiros ordinis S. Benedicti factus est. Postea uero ob insignem pietatem & eruditionem in Boiariam euocatus, ut contentiones aliquas in Ecclesia ortas sopiret, usus est hospite Piligrino episcopo Batauiensi. Cum autem Piligrinus eius indolem & doctrinam cognouisset, paulo post Vuolffgangum ad Ratisbonensem ecclesiam, tunc uacantem, apud Ottонem Imperatorem, eius nominis primum, promouit, atq; eidem cathedram impetrauit, anno Domini noningentesimo sexagesimo octauo. sæpè etiam Piligrinus homo magno iudicio præditus, exclamasse fertur. O felicem Ecclesiam, quæ Deo fauente hōc sacerdote donabitur.